Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans potest adicere ad staturam
suam cubitum unum? Et de uestimento quid sollicati estis? Considerate lilia
agri quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem uobis: quoniam nec
salomon in omni gloria sua cooperitus est sicut unum ex istis. Si autem fe-
num agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur deus sic uestit: quan-
to magis uos minime fidei? Nolite igitur sollicati esse dicentes. Quid
manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hec enim omnia
gentes inquirunt. Scit enim pater uester: quia huius omnibus indigetis. Que-
rite ergo primum regnum dei et iustitiam eius: et hec omnia adicientur uobis.

Fratres. Obsecro uos. Dominica xvi. Ad ephesios.

Ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis: que est gloria ue-
stra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri iesu xpi: ex quo omnis
paternitas in celis et in terra nominatur: ut det uobis secundum diuitias glo-
rie sue uirtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem habitare xpm
per fidem in cordibus uestris: in caritate radicati et fundati: ut possitis com-
prehendere cum omnibus sanctis que sit latitudo longitudo sublimitas et pro-
fundum: scire etiam supereminentem scientiam caritatis xpi: ut impleamini
in omnem plenitudinem dei. Qui autem potens est omnia facere super
habundanter quam petimus aut intelligimus secundum uirtutem que operatur
in nobis: ipsi gloria in ecclesia et in xpo iesu in omnes generationes
seculi seculorum amen.

Sancti lucam.

Illo tempore. Ibat iesus in ciuitatem que uocatur naym: et ibant cum illo
discipuli eius et turba copiosa. Cum autem appropinquaret porte ciuita-
tis: ecce defunctus efferebatur filius unicus matris sue. Et hec ui-
dua erat: et turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidisset dominus:
misericordia motus super eam dixit illi. Noli flere. Et accessit: et tetigit lo-
culum. Hi autem qui portabant steterunt. Et ait. Adolescens: tibi di-
co surge. Et resedit qui erat mortuus et cepit loqui. Et dedit
illum matri sue. Accepit autem omnes timor: et magnificabant deum dicen-
tes. Quia propheta magnus surrexit in nobis: et quia deus uisita-
uit plebem suam. Dominica xvii. Ad Ephesios.